



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Isagoge Sive Introductio Ad Vitæ Spiritualis  
Perfectionem, Omnibus tam Regularibus, quàm Clericis  
Sæcularibus, Confessariis, Concionatoribus, & Animarum  
Pastoribus perquàm utilis, & specialiter ...**

**Herlet, Johann Georg**

**Sulzbaci, Anno MDC.XCIII.**

§. 4. De observatione Regulæ, & Statutorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37853**



gant sub mortali utpotè concernentia materiam  
votorum substantialium, aut necessariam cum  
iis habentia connexionem; nisi fortè parvitas  
materiæ excuset in iis, quæ admittunt parvita-  
tem: Nam votum Castitatis eam non admit-  
tit. Alia habent vim *statuti* sive *ordinationis*,  
præscriptis dispositiones ad meliorem obser-  
vationem votorum substantialium; veluti sunt  
jejunia, & austeritates regulares. Atque hæc  
ordinariè obligant tantum sub veniali; nisi adsit  
contemptus; aut accedat præceptum rigoro-  
sum Superioris. Alia verò sunt *consilia* tantum:  
ad quæ observanda non est obligatio sub culpâ  
aliquâ; Sed satis est ad evitandum peccatum,  
si non contemnantur ut inutilia, aut si contra  
eorum executionem animus firmo proposito  
non obfirmetur: Nam qui profiteretur Regu-  
lam aliquam; non propterea vovet, se observa-  
turum singula, quæ regula continet: Sed pro-  
mittit, se victurum, moresque suos composi-  
turum juxta directionem Regulæ; servando ea,  
quæ sunt præcepti, ut præcepta: quæ Statuti,  
ut Statuta; quæ consilii, ut consilia; Sicut  
docet S. Thomas *quodl. 1. a. 20. q. 2. 2. q. 186. a. 9.*

§8 Similiter Stauta Canonici Ordinis Præ-  
monstratensis non stringunt sub aliquo peccato;  
*Sed sub obligatione pænæ duntaxat; nisi con-  
temptus, scandalum, vel quid aliud transgres-  
sionem vel mortalem vel venialem efficiat; uti  
dicitur in præfat. eorundem Statutorum. Ubi  
tamen additur: verum sub hac declaratione tria*  
Reli-

Religionis vota, & quæ ad communem vitam, victum, & vestitum conservandum, aliæque, quæ ad substantiam regularis vite pertinent, nullatenus volumus comprehensa. Sed nec ad ea, quæ ex Romanorum Pontificum privilegiis, ordinationibus, atque decretis; & ex conciliis, veletiam ex constitutionibus Juris communis, hiscè nostris statutis sunt inserta, hanc nostram extendi volumus declarationem.

59. Verùm ad hanc distinctionem tum regularum tum statutorum nullatenus advertere debet, cui perfectio cordi est adeoque bonus Novitius æque ac professus non solet inquirere, vel attendere, num id, quod præscribitur, sub gravi, levi, aut nullo peccato obliget; Sed ipsi sufficit; quod noverit præscribi, & juberi, ut adimpleatur: quia pro certo habet, quod, quidquid in Regulâ & Statutis præscribitur, sive parvum sive magnum; Sive ut præceptum, sive ut consilium, id totum sit medium conducibile & proficuum ad perfectionem consequendam. Quod enim Regulæ quædam & constitutiones non obligent sub peccato, non est ideò, quod Fundatores Ordinum judicaverint, eas esse imperinentes, & inutiles ad finem vocationis: Sed quod noluerint onerare & gravare conscientias multitudine præceptorum. Undè qui minimas Regulas vel Statuta negligit, non solum ad perfectionem Status & vocationis suæ non ascendet; sed paulatim majora audebit, & ipsa tandem substantialia vota infringere non formidabit: Dicit enim Christus *Luc. 16. Qui in*  
mo-

*modico iniquus est ; & in majori iniquus erit.*  
 Et *Eccl. 19. Qui spernit modica, paulatim deci-*  
*det.* In observatione regularum omnis noster  
 consistit profectus & progressus in Spiritu ; jux-  
 ta illud *Proverb. 32. Custodi legem atq; consi-*  
*lium ; & erit vita animæ tuæ.* Quia regulæ &  
 statuta sunt norma, Canon, & directio actio-  
 num nostrarum ; adeoque quò conformiores  
 hæ sunt regulis & statutis nostris ; eò perfectio-  
 res censentur : à *Canonibus* enim dicimur *Can-*  
*onici,* & à *regulis* *Regulares* : ut juxta has mores  
 & actus nostros regulemus, & nec latum qui-  
 dem unguem ab iis in operando recedamus ;  
 Sicut artifex in opere faciendo respicit semper  
 ad regulam artis suæ, nè in parte aliquâ defle-  
 ctat & aberret. Regulæ & statuta sunt *ante-*  
*murale* civitatis nostræ spiritualis, nempè ani-  
 mæ : mandata autem sive præcepta Dei & Ec-  
 clesiæ sunt ejus *munus*, quo cingitur, ambitur,  
 & comunitur anima contra insultus tartarei ho-  
 stis. Constat autem, quod murus tam diu in-  
 teger & inconcussus persistat, quandiù antemu-  
 rale & exterius munimentum non sternitur &  
 dejicitur. Econtrà si antemurale fuerit pro-  
 stratum ; statim & immediatè hostis machinas  
 suas convertit ad murum, ut eum jam suo præ-  
 fidio denudatum concutiat ac prosternat. Un-  
 de Propheta *Isaias. c. 26.* descripturus fortitu-  
 dinem Urbis Hierosolymitanæ, ait : *ponetur in*  
*eâ murus & ante-murale.* Econtrà *Threnorum*  
*2.* describens devastationem ejusdem urbis *Jeremias*,  
 ait : *Cogitavit Dominus dissipare murum*  
*filia*

*filia Sion luxit antemulare, & murus pariter dissipatus est.* Eodem ferè modo quamdiù salva & integra perficit observatio Regularum ac Statutorum; tam diù inconcussa etiam permanet observatio præceptorum Dei & Ecclesiæ: ubi verò Diabolus arietando perforavit, ac dejecit ante murale & munimentum Regularum & constitutionum; in proximo jam est, ut machinas suas etiam convertat ad concutiendos & quatiendos muros præceptorum Dei Ecclesiæ: Undè in præfat. *Statutorum Canonici Ordinis Pramonstratensis, circa finem dicitur: Leges tam maturo iudicio vobis præscriptas, necessarias, faciles, & sanctas, strictissimè & rigorosissimè observate: Scientes, quod vestra salus inde dependeat. Nemo vos decipiat: harum legum contemptores, sua professionis sunt violatores; & qui eas adimplere noluerit: regnum Dei non possidebit; Partim quia non vult adhibere media, per quæ ad perfectionem tenditur; & consequenter non vult tendere ad perfectionem, quam tendentiam tamen omnes Religiosi Professi obligantur sub mortali: partim etiam quia per neglectum Regularum ac Statutorum paulatim deveniet ad neglectum & transgressionem Divinorum Præceptorum. A minimis incipiunt, qui in maxima proruunt: inquit S. Bernardus de Ordine vite & morum instit. Et teste s. Chrysostomo homil. 83. in Matth. Cito ex parvis maxima fiunt negligentia nostrâ. Undè idem St. Bernardus serm. contra vitium ingrætitudinis, ait, si quos videmus apostatave à Deo,*

non

non putandum esse, quod tunc primum inceperint deficere : quia ordinariè loquendo nemo repente fit pessimus : Sed arbitrandum, eos paulatim defecisse, & in parvis & minutis antea negligenter se gessisse. Quod verò de lapsu professorum à Religione & Deo apostatantium asserit S. Doctor ; verissimum etiam est de recessu Novitiorum à proposito suo Religioso deficientium ad sæculum. Quapropter ut in Religione perseverent, & ad gradum *proficientium* ascendere mereantur : ad eam conscientia puritatem & teneritudinem conari debent, quæ minimæ etiam Regulæ & Statuti transgressionem plenè voluntariam ac deliberatam refugiat & perhorrescat.

## §. 5.

*Medium primum ad puritatem & teneritudinem conscientia acquirendam est frequentatio SS. Sacramentorum Pœnitentia & Eucharistia.*

60 **Q**uod Sacramenti Pœnitentia frequentatio non solum conscientiam à peccatis præteritis emundet, & expurget : verum etiam eam deinceps puram ac immaculatam conservet, imò etiam ab omnibus delictis præservet ; patet *primò* exindè, quod pœnitens in examine & discussione conscientia, quæ confessioni debet præmitti, deveniat in exactam cognitionem & notitiam suorum defectuum ; noveritque, quibus potissimum vitiis laboret ;

con-